

ergo ad Regem mittantur ſuffragia, ſignum manifeſtum eſt, iuxta eorum pluralitatem non eſſe neceſſario iudicandum.

Roboratur aſſertum.

94 Deinde licet ad Canonicatus dictos ratio doctrinæ præſertim habeatur, non tamen illa ſola attendi debet, ſed alia, vt dixi, qualitates: Atqui iſta poſſunt aliunde cognosci, & non ex ſola ſuffragatione habentium ius ad illam; ergo & propter illas fieri prouiſio in eo, qui pauciora ſuffragia tulit. Præterea, etiamſi noua notitia non accedat, illa ipla qualitates, quæ in oppoſitoribus proponuntur, poſſunt aliter à Rege, adhibita conſultatione, perpendi, & ex illis ipſe maiorem conſpicere dignitatem.

Aſſertio 3. probabilis eſſe Regem non teneri ad eligendum digniorem ſub reatu mortali.

95 Dico tertio, probabile eſt non teneri Regem in caſu dicto eligere digniorem ſub onere mortalis peccati; digniorem inquam ab aliis iudicatum, etiamſi nihil eorum occurrat, de quibus in Aſſertione præcedenti. Quod explicatur

Ratione exigui exceſſus.

Primò Quia exceſſus poteſt eſſe paruus, ob vnum ſcilicet, aut aliud ſuffragium: quando autem talis eſt, minus digni prælationem non eſſe mortalem communis ſententia firmat. Pro quo videri poteſt P. Thomas Sancius ſupra num. 17. vbi alios adducit. Secundò, Quia exiguus exceſſus exiſtimari poteſt, etiamſi plura ſuffragia ſint. Demus enim eſſe quatuor: tunc ſuſpicari poteſt, iuxta id, quod frequenter accidit, eorum aliqua non eſſe omnino iuſtificata, & fauori aut alteri humano reſpectui aliquid datum: vnde quæ reſtant ſuffragia non magnum exceſſum faciunt.

Et quia Rex ſe noluſſe aliter obligare.

96 Tertio. Quia Rex liberam habet prouiſionem reſpectu ſimplicium Beneficiorum, & ita non teneretur digniores ad huiusmodi Canonicatus eligere, vbi per concurſum non conferuntur: Atqui non videtur inueroſimile noluiſſe ſibi ad eò graue onus imponere, vt aliter faciens reatum æternæ damnationis incurreret. Nec propterea inutilis concurſus redditur, tum quia frequentius ad plura ſuffragia & informationes attenditur; tum etiam quia ſic promouentur literæ, oppoſitionis plauſibili ſatis exercitatione. Item, quia maior ſic acquiritur benemeritorum notitia, dum oppoſitio Regi, & Regiſ Conſiliariis per eodem innotefcit. Concurſum autem non ſemper eſſe formalem bene obſeruat P. Dicatillus. Lib. 2. Tract. 2. Diſp. 8. num. 154.

Qui fauorant Doctores.

97 Tandem, quia Doctores plures de Patrono laico loquentes, & eum non teneri grauiter ad digniorem præſentandum aſſerentes, non excipiunt præſentationes, quæ ab eis poſt concurſum ſunt. Et Nauarrus in Manuali Cap. 25. num. 57. aſſerit, ſecluſo iuramento, non eſſe mortale eligere minus idoneos ad Cathedras, quæ per oppoſitionem dantur. Id quod in Beneficiis etiam tradunt alij, quos adducit Dom. Solorzanus Tomo 1. Lib. 3. Cap. 15. num. 69. Iuxta quæ oppoſitio ex ſe grauem obligationem non inferret. Et quod plus eſt, Concilium Tridentinum ſeſſione 24. Cap. 18. de Reformatione, præcipiens vt Patronus Eccleſiaſticus digniorem præſentet, de laico nihil decernit tale: & tamen de concurſu agit pro beneficiis Curatis. Ex quo plures inferunt Patronum laicum ad dignioris præſentationem non eſſe grauiter obligatum. Quæ omnia

Tridentinum vt inuenit.

Aſſertionem propoſitam ſatis verofiſimilem oſtendunt. Cùm autem ſententia oppoſita communior & ſolidioribus ſit innixa principiis, id Reges debet reddere in huiusmodi prouiſione cauertiſſimos: quod autem poſtremo addimus, propterea eſt, quia & illud verofiſimile, & vt non vnde quaue rationabile eorum arbitrium obſtruat.

CAPVT XI.

An Rex Catholicus ſine lethali culpa reatu Indos poſſit, aut eorum aliquos, in totalem redigere ſeruitutem.

§. I.

De generali ſeruitute Reſolutio negatiua.

VT fieri id poſſit, videtur aperte fauere Bulla Calliſti Tertij, quæ incipit, Dudum, & Nicolai Quinti aliam inſertam habet, in qua ſic loquitur: Nos prædicta & ſingula debita meditatione perſantes, quod cum olim præfato Alphonſo Regi quoſcumque Chriſti inimicos vbiſcumque conſtitutos, ac Regna, Ducatus, Principatus, dominia, poſſeſſiones, & mobilia bona quacumque per eos decenta ac poſſeſſa inuadendi, conquirendi, expugnandi, debellandi, & ſubiugandi, illorumque perſonas in perpetuam ſeruitutem redigendi & c. aliis noſtris Literis plenam & liberam inter cetera commiſiſſimus facultatem. Et inferius. Literas facultatis præſatas, quarum tenores ad verbum præſentibus Literis volumus pro inſertis & quacumque etiam alia ante data dictarum facultatum acquiſita, & ad ea quæ in poſterum nomine dictorum Alphonſi Regis, ſuorumque ſucceſſorum, & Inſarctis, in ipſis, ac circumuicinis, & vltioribus partibus, de infidelium ac pagavorum manibus acquiri poterunt, prouincias, inſulas, portus, & maria quacumque extendi, & illa ſub eisdem facultatis Literis comprehendere. Iuxta quæ videtur Pontifex Portugallia Regibus, & conſequenter Regibus Catholicis eorumque legitimis ſucceſſoribus, redigendi in ſeruitutem Indos facultatem præbuiſſe. Et licet in priori clauſula de his tantum videatur loqui, qui inimici Chriſti ſunt, quales dici Indi non poſſunt, quibus de Chriſto nihil vnquam fuerat annuntiatum: poſterior autem de illis abſque vlla dubitatione procedit, cum de acquirendis ex paganorum ac infidelium terris ſtatuat, etiam in vltioribus ac remotioribus partibus in quibus id omne vult locum habere, quod de aliis fuerat præmiſſum: & erat eorum vnum facultas redigendi in perpetuam ſeruitutem.

Bulla Calliſti 3. & Nicolai 5. circa Indorum ſeruitutem.

Aſſertio 2. Indos non poſſe generaliter in ſeruitutem redigi.

En ſi in illis.

99 Dico primò, Indi generaliter non poterunt, nec poſſunt in perpetuam ſeruitutem redigi. Conſtat ex Pauli Terrij iteratâ declaratione: in Bullâ enim, quæ incipit, Dilecte fili noſter, ſub datâ Anni 1537. die 23. May, ad Cardinalem Taueram pro executione directâ, ſic ait: Nos igitur attendentes Indos ipſos, licet extra gremium Eccleſiæ exiſtiant, non tamen ſua libertate, aut rerum ſuarum dominio priuatos vel priuandos eſſe, & cum homines, ideoque fidei & ſalutis capaces ſint, non ſeruitute delendos, ſed prædicationibus & exemplis ad vitam inuitandos fore &c. Et in aliâ ſub datâ ejuſdem menſis & anni, die autem 28. ita loquitur:

Alia eiusdem.

tur: Ac volentes ſuper his congruis remedijs provide prædictos Indos, & omnes alias gentes ad notitiam Chriſtianorum in poſterum deuenuras, licet extra fidem Chriſtianam exiſtant, ſua libertate, ac rerum ſuarum dominio huiusmodi vti & potiri & gaudere libere & licite poſſe, nec in ſeruitutem redigi debere; ac quicquid ſecus fieri contigerit, irritum: ipſoſque Indos, & alias gentes, verbi Dei prædicatione & exemplo bonæ vitæ, ad dictam fidem Chriſti inuitandos fore, auctoritate Apoſtolica per præſentes Literas decernimus & declaramus. Sic Pontifex omnem circa hoc dubitationem excludens, adiciens inſuper poenas grauiffimas, excommunicationis ſcilicet lætæ ſententiæ ſibi reſeruatæ, & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti. Teſtatur autem ibidem à Carolo Quinto Imperatore & Rege noſtro idem publico edicto prohibitum: pro quo & extant prohibitiones aliæ Catholicorum Regum, de quibus Dom. Solorzanus Tomo 1. Lib. 2. Cap. 9. num. 75. & Lib. 3. Cap. 6. à num. 28. & Cap. 7. num. 56. & in Politica Lib. 2. Cap. 1.

Regum eadem.

Quomodo circa illud conciliatur.

Quando ſeruitus licet.

Non inſeueranda ſemper rebelantibus.

Tituli amplius explicantur.

Bañez.

Ferdinandus Zurita.

100 Quid ergo? Conſtitutiones Apoſtolice ſibi eſſe contrariæ poſſunt, & aliud Nicolaus & Calliſtus, aliud Paulus circa rem adeo grauem arbitrantur? Nullo modo. Debellationem quidem & ſeruitutem concedunt priores, ſed iuxta luris formam rationabiliter temperandam; luris inquam naturalis, & gentium, & Chriſtianæ conſuetudine regulatam. Si ita reſiſtant, vt priuari vitâ poſſint, merito & ſerui poſſunt fieri; ſeruitus enim pro ſeruatâ vitâ ſuccedit. Quando autem reſiſtentia in Indiſ talis ſit, attendit debet & Chriſtianis peccatoribus dignâ conſideratione penſari, neque enim quæuis ſufficit. Quid enim, ſi reſiſtant Indi naturâ pauidi vt plurimum in aduenſis incognitis, ſuo capiti conſulentes? Quid ſi etiam animoſiores ad ſpectaculum ſibi formidandum, quando ſcilicet Hispanos milites conſpexerunt? Quâ conſideratione cautum Regiſ ſchedulis vt Indi in ſeruitutem redacti, quia poſt datam Regi obedientiam rebelarunt, in ſua vindicentur libertatem. Porque eſtos no ſe pudieron haer esclauos, aunque fueſſe por ocaſion de rebellion. Tomo 4. pag. 370. & ſe 19. Si ergo nec rebellantes redigi in ſeruitutem poſſunt, quæto potius ad horrendum illis aduentum reſiſtentes? Victoria, & Sotus, quos adducit & ſequitur Salon. 2. 2. Tomo 1. Col. 351. & ſeqq. aſſerunt Indos non aliter ſeruos fieri poſſe, quàm ſi volentibus Euangelium in iis regionibus prædicare, ipſi reſiſtant, & vt reſiſtentibus prædicationi Euangelij bellum inferatur. Sed Bañez 2. 2. q. 10. art. 10. verſ. Ex his ſequitur, id non admittit, ſi poſtea barbari reſiſcant; quia tale bellum cederet in ſcandalum Euangelij. Ferdinandus Zurita in Enchiridio Quæſtionum Indicarum, Quæſt. 23. Propoſit. 2. vt verofiſimile proponit Indos, qui legatos ſine ſaluo conductu venientes occidunt, iniuſticiam non committere, ſi gentis ſibi aduerſæ ſint, à quâ merito timere poſſint. Ecce quantâ cum circumſpectione hoc eſt in negotio procedendum, vt deueniatur ad caſum, in quo ſeruitus licita eſſe queat. Sed quia aliqua eſſe poteſt, ſi videlicet ita reſiſtentes non reſiſcant, id concedit Pontifex, omnem in eo euentu ſcrupulum eximens, iam enim illi maniſeſtos hoſtes Chriſti comprobantur, & cum

Mauris & Turcis numerandi.

101 Ratio autem pro Aſſertione ex conſeſſione ampliſſimâ ab Apoſtolica Sede Regibus Catholicis factâ euidenter deducitur. Nam illa eſt in ordine ad conuerſionem Indorum, vt ex dictis Cap. 1. & ſeqq. conſtat. Atqui ad huiusmodi finem non conſert, ſed obeſt nimium iugum ſeruitutis duriffimum: ergo non eſt generaliter vt licita admittenda. Maior conſtat, & Minor eſt certa, indicaturque à Paulo Tertio, dum ait Indos non ſeruitute delendos, ſed prædicationibus & exemplis ad vitam inuitandos: redderetur enim nimis odioſa religio, quæ non niſi malo omnium maximo, morte exceptâ, proueniret.

Ratio Aſſertionis ex forma Apoſtolice donationis.

102 Præterea, Reges Catholicos Indias poſſident Pontificiâ conſeſſione: Atqui Pontifex in conſeſſione dictâ personale Indorum dominium non conceſſit; ergo nequit illud niſi per ſummam iniuriam uſurpari. De Maiori conſtat, & Minor eſt maniſeſta ex Bullis conſeſſionis Alexandri Sexti: in priori enim tantum terræ reperta & reperiendæ cum illarum dominij, ciuitatibus, caſtris, locis, villis &c. conceduntur. Vbi & ſupponitur nullum eſſe titulum ad inferendam ſeruitutem; ſic enim dicitur: In quibus quamplurimæ gentes paciſſimæ viuentes, & vt aſſeritur, nudi incedentes, nec carnibus veſcentes, inhabitant; & vt præſertim nuntij veſtri poſſunt opinari, gentes ipſe in inſulis & terris prædictis habitantes, credunt vnum Deum Creatorem in calis eſſe, ac ad fidem Catholicam amplectendum ſatis apti videntur, ſpeſque habetur quod, ſi erudirentur, nomen Saluatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti in terris & inſulis prædictis facerentur. Hæc Pontifex; iuxta quæ planum eſt illum ad inducendam ſeruitutem contra naturæ iura facultatem minimè concedere voluiſſe, nec tale ipſi veniſſe in mentem: Paciſſimæ enim viuentes, & ad Chriſti fidem ſuſcipiendam ſatis apti, quo poterant iure in ſeruitutem redigi, quæ, vt diximus, necis loco ſubſtituitur iuſto bello inferibilis, eſtque poſt illam malorum extremum, ſicut & eorum formidabile compendium. Pro quo neruoſè militat Fr. Ioannes de Silua in Animaduerſionibus citatis fol. 16. cuius illa, inter alia verba: Ni el Papa Alexandro quando hizo à los Reyes de Caſtilla ſupremos y ſoberanos Monachos de las Indias, les concedio cosa alguna en perſuicte de eſte derecho natural, y de las Gentes. Sic ille, probans eodem loco non eſſe in terris huiusmodi poteſtatem.

Et quia in illa personale dominium referuntur.

Bulla Alexandri.

Fr. Ioan. de Sylua.

§. II.

Quomodo aliquando licita Indorum ſeruitus.

103 Dico ſecundò, Aliquando Indi redigi in perpetuam ſeruitutem turâ conſcientiâ poſſunt. Sic citari. num. 100. & probatur: Quia Indi poteſt iuſtum bellum inferri, & ita etiam poſſunt occidi, ſi id ratio iuſtæ deſenſionis admittat: ergo & ſerui fieri, ſeruitute cum morte commutatâ, quæ eſt communi conſenſu probata doctrina. Tale autem bellum & eſſe poteſt, & iam multis retro annis experimur in regno Chilienſi, vbi durum ſatis à ſtirpe genis, infidum, refractarium, quod neque huma-

Aſſertio 2. licere aliquando Indorum ſeruitutem.

In Chilienſibus iuſtificata.

na neque diuina fides in rationabili contineat officio; id quod nunc maxime, generali rebellionē, non sine ingenti concuſſione animi comprobatum. His poſt expectatam diu reductionem, & oblata pacis fœdera, nec quidquam eorum obtentum, indiſta eſt ſeruitus Regiæ ſanctiōe, de quâ Dom. Solorzanus *Lib. 3. citato. Cap. 8. num. 8. & ſeqq.* & in *Politica pag. 70.* & licet nonnullis neque conueniens, neque iuſta viſa fuerit: poſt rebellionem tamen dictam auidiui eos aliter ſentientes. Pro iuſtitia autem, præter communem rationem, & Doctorem auctoritatem, ſic generaliter decernentium, irrefragabile ſuppedit argumentum, ex eo deſumptum, quod omnes, ſi non ſpeculatiuè, præctice tamen amplectimur, dum mancipia Æthiopia & emimus & vendimus, hæc abſque vilo conſcientiæ remorſu ſeruatorum iure tractamus: Atqui in illis minor ſeruitutis apparet titulus, vt videri poteſt apud P. Molinam *Diſput. 34. & ſeqq.* & P. Thomam Sancium *Tomo 1. Conſiliorum Lib. 1. Cap. 1. Dub. 4.* Dom. Solorzanum *Tomo 1. Lib. 3. Cap. 8. num. 108. & ſeqq.* & in *Politica pag. 69. 5. Porque.* & alios, de quo & nos *Titulo 9. à num. 180.* calamo fuſiori. Ergo circa Clientes non eſt in quo hæreere debeamus, cum belli titulus manifeſtus ſit, & ab omnibus admiffus, vt bene oſtendit P. Sancius *ſupra num. 1. & Dub. 3. num. 5.* Pro quo & Cardinalis Lugo *Tomo 1. de Iuſtitia. Diſput. 6. num. 11.*

104 Dici poteſt à Regibus Catholicis hoc iudicatum illicitum, vt vidimus *num. 100.* verbis illis: *Porque eſtos no ſe pudieron hacer es clauos, aunque fueſe por ocaſion de rebelion.* Sed id non obſtat; concedimus enim non bellum quodlibet, aut rebellionem quamcumque, ad ſeruitutem ſufficere, ſicut *Superius* explicatum; iteratam tamen, neque cum ſecuritate Noſtrorum, & eorum, qui Chriſtianam ſunt religionem amplexi, aut emendationis ſpe, titulum eſſe ſufficientem affirmamus.

105 Id tamen circa præfatam legem ſeruitutis addiderim, eam ruinæ illius regni occaſionem inſandam præbuiſſe; dum enim prædæ huic quaſtuofæ immoderatiùs ab exercitùs noſtri Præſectis incumbitur, non iam Dei, & publicæ cauſæ res acta, & ita nec iuſtitia obſeruati limites, vnde omnia in peius ruere, & retro ſublapſa referri conſpicimus. Non placuit aliquibus pax, in quâ prædæ partum; & ita facile fuit belli vix extinctum incendium tuſcitari. Videant ergo Reges noſtri quòd iam admonui *Cap. 9.* & Gubernatores prouinciis talibus ſelectiſſimos aſſignent, ni velint id, quod multis eſt & quaſtuofiffimis laboribus partum, vnius diei ſpatio deperditum complorari.

106 Dico tertid. In hac ſeruitutis lege non videtur rationi ac pietati conſonum vt pueri aut puellæ, etiam rationis compotes, comprehendantur. Probatur

Primò à ſimili: Nam Philippus Secundus Rex noſter non permittit Maurorum filios in rebellionē Granatenſi ſeruos fieri, vt teſtatur Cardinalis Lugo *ſupra num. 13.* & ante illum P. Molina *Diſput. 33.* vbi diſputat an contrarium licitè fieri poterit: & licet affirmatiuam ſententiam amplectatur; oppoſitæ tamen non leuia funda-

Ex Ethio-
paciſ man-
cipiis ro-
boratur.

Ex Regiæ
ſchedula
reſponſo
in qua
rebellantes
examinantur,
cui ſua ſa-
tis.

Occaſio
auaritiæ
inde ſum-
ta, rebel-
lionem ex-
citauit.

Ad Reges
noſtros ad-
monitio.

Aſſertio 3.
pueros re-
ſeruantur.

1. Mauro-
rum Gra-
natenſium
exemplo.

menta proponit, quibus conatur ſatisfacere; non tamen ita apertè, vt fundamenta prædicta ſuo robore videantur penitus deſtituta. Quod ergo cum Mauris factum, Hiſpaniæ infeſtiſſimis hoſtibus; cur non etiam cum Indiſ fiat, de quibus inter Hiſpanos educatis & ſeparatis à parentibus, id ſperare poſſumus, quod in plurimis eorum etiam ſeruis deprehendimus, Chriſtianos ſcilicet mores, & æternæ ſalutis pignora non leuia, de quo poſſum propriæ experientiæ ſuffragio iudicare.

107 Secundò, quia etiam poſt iteratam rebellionem ſunt qui cenſeant, ſic rebellantes non poſſe fieri ſeruos, quia rebellionis non leues excuſationes inueniunt, quandoquidem non leuiter ſunt ad executendum ſociale iugum prouocati; ergo ſeruitutem ad impubes extendi, neque rationi neque pietati conſonum apparet.

Tertid, quia in omnibus bellis, quæ in partibus Indiarum contra indigenas geruntur, negotium fidei principaliter debet attendi, cum à Sede Apoſtolicâ eo ſint reſpectu Catholicis Regibus attributæ; atqui libertate eorum, de quibus agimus, negotium fidei promouetur; ergo debet illa in ipſis tartatecta ſeruari. Major eſt certa ob rationem poſitam, & Minor clara; nam ſeruitus fruſtuofa fidei obeſt ſuſceptioni, ad quam libertas conſert, vt iam vidimus *ſ. præcedenti* ex mente Pontificum, & ratione.

108 Dices ex hoc ſequi etiam adultos non debere ſeruitute mulctari, quia ſic ad fidem aptiores inueniuntur. Sed hoc non ſatisfacit; quia adultos ſupponimus eſſe Chriſtiani nominis inimicos, neque de illis quidquam poſſe eo in genere firmum expectari: At de filiis aliter ſentendum ob dicta *num. 106.* Quòd ſi ſperaretur adultos libertatis conſeruatiōe ad fidei ſuſceptionem meliùs diſponendos, idem proſectò dicendum. Et hac de cauſa Reges noſtri tantopere fuerunt de Indorum libertate ſoliciti, vt neque belli jus, neque rebellionem illi obſtare cenſuerint; quia ſcilicet negotium fidei Chriſtianiſſimo calore tractabant, quod arbitrabantur hoc pacto meliùs proceſſurum. Faciant ergo tantis digni parentibus filij, quòd de eorum zelo ac pietate non eſt cur minùs ſperare, eorum plenè conſeij, debeamus.

CAPVT XII.

Minerisne effodiendis poſſint Indi, talem non meriti pœnam, ſine labe culpæ lethalis addici.

109 Poſt Indorum libertatem, circa quam Reges Catholicici, vt vidimus, eximie fuere ſoliciti, nihil videtur ita poſſe eorum ſolicitas conſcientias agere, vt id, de quo quaſtio & controuerſia præſens agitatur. Videtur enim hæc ad Mineras compulſio quoddam ſeruitutis, & duræ ſatis, genus: adeò vt inter ſeruatorum officia neutiquam numeretur, iuxta receptam apud Romanos conſuetudinem, quidquid antè de antiquioribus fuerit minùs humanè agentibus, & infelices in eo ſucceſſus expertis. Pro quo Athenæus *Lib. 6. Cap. 7.* ſuo de tempore

2. Ex re-
bellionis
excufa-
tione.

3. Ex ſine
conuerſio-
nis in do-
natione In-
diarum.

In adultis
aliam el-
ſe rationem.

In mineris
labor ſu-
pra ſeruo-
rum la-
bores.

Horatius.
Vendere cum poſſis, captiuum occidere noli:
Seruier vtiliter; ſine palcat durus, aretque,
Nauiget, ac mediis hiemet mercator in vndis:
Annonæ proſit, portet frumenta, penuſque.

Quo non obſtate, fuerit qui compelli poſſe cõferent, moderatione adiectâ, vt Chriſtianam pietatem decet, ſi videlicet per interualla hæc fiant, & in ſoluendo laboris pretio ſpecialiſſima habeatur cura, cum cautionibus aliis, circa quorum obſeruantiam attentiſſimos opus eſt ſe gerere Magiſtratus. Et ita quidem diſpoſitum: cum fuerint, qui erga hoc Regibus noſtris ſcrupulum omnem exemerint; nihil enim à piſſimis Principibus ſine hoc eſt ſaluo conductu tentatum. Diſpoſitioni autem à viris doctis, & Chriſtiano zelo æſtuantibus reclamatum; ex quo factum, vt res in conſilium multorum fuerit ſemel iterumque vocata, & Reges noſtri de tollendo hoc onere miſſellis iſtis ſerid tractauerint, & pro eo reſcripserint; quod tamen non potuit, vt eorum erat deſiderium, executioni mandari. Teſtantur autem illi in Reſcriptis variis deſiderare ſe onus iſtud ab Indorum ceruicibus amouere; ſed tollerandum illud, donec melioris diſpoſitionis opportunum tempus adueniat. *Que ſin embargo de lo prouenido por cedulas antigvas, cerca de que no fueſen compellidos à eſte trabajo contra ſu voluntad.* Verba ſunt decretoriæ Schedulæ, quæ extat *Tomo 4. pag. 315.* Fuerunt ergo qui ſic antea prouidere, hac graui ſaucij curâ, quia ſpinam, quam educere conabantur aliqui, alij contra ſentientes validiùs infugebant. Statutum eſt nihilominùs in ſchedulâ præfatâ oppoſitum; ſed non ad tranquillandos Regios animos noui & ſanè docti conſilantes ſuffecerunt. Iterum de tollendo deliberatum grauamine, & deſignatum tempus pro executione commodiùs inducendâ. Nequidquam tamen; & ita res in eodem ſtatu, quem & nunc habet, eſt relicta.

110 Eſt ergo cauſa hæc pro vtraque parte ſatis ſuperque ventilata, vt nihil à me addi in præſenti poſſit, cuiumque adhæſero, quod magni queat eſſe momenti. Licitum ſi dixerò eſſe grauamen, iam melioribus teſtibus id firmatum, quorum auctoritate res agituri. Si illicitum aſſeruero, nihil meâ exiſtimatione confeceim; neque eurentem hanc tanto impetu machinam puſillæ vocis inſtantia reuocauerim. Fr. Michæl de Agia Franciſcanus ex profeſſo probandum aſſumpſit licitâ eſſe Indorum ad metallâ effodienda compulſionem, ſic Regium Reſcriptum Philippi Tertij Anno 1601. tranſmiſſum interpretans *pag. 60. & ſeqq.* Cuius ſententiæ quamplures viri docti in Limanâ hac vrbe ſubſcripſerunt; duodecim inquam maioris abollæ Theologi, & Iuris vtriuſque Profeſſores, aut in eodem verſati; & præter eos decem alij S. Philippi Collegæ, qui videntur ad augendum numerum ſubſcribentium adſciti: licet enim in eo Collegio plures fuerint, qui Iurisprudentiæ ſtudentes, in eâ inſignes eualeſerint facultate, & primarias in hoc regno ſedes occuparint; dum tamen ibidem agerent, vix gradum ſtudentium prætergreſſi, neque experientiâ, neque rerum notiâ adeò excellere poterunt, vt eorum iudiciâ in re tantâ, contra ſentientibus & clamantibus quamplurimis ſci-

Regium reſcriptum.
Qui ſemper urget.
F. Michæl de Agia affirmans partem acer propugnator, qui et alios congerit non penitus ſufficientes.

Fr. Michæl de Agia affirmans partem acer propugnator, qui et alios congerit non penitus ſufficientes.

tiâ, prudentiâ, experienciâ, & religione conſpicuis, tanti fieri debuerit, & tot ſubſcriptionibus paginas onerari. Illud maioris proſectò momentum, quod citatus Pater atteſtatur, Proregem ſcilicet Dom. Ludouicum à Velafco, aſſirmaſſe ipſi, alios à ſe conſultos idem cenſuiſſe, & in re omnes eſſe conformes, licet viis diuerſis incedentes. Quod ſi ita eſt, cur non & eorum ſubſcriptiones dictus Pater obtinuit, & ſua lucubrationi contexit?

111 Contrarium tamen, vt dixi, quamplurimi corditùs tenuerunt, ex quibus eiſdem Religionis alumnus Fr. Ioannes de Silua in Animaduerſionibus iam citatis *fol. 69. pag. 1.* cuius, quia nimis acerba, nolo verba tranſcribere. Et R. P. Fr. Antonius Martinez, vir ob inſignem probitatem & doctrinam, muneraque in eadem Religione præclare geſta, magna apud omnes exiſtimationis; qui id non ſolum verbo, ſed & ſcripto teſtatus, vt citatus Auctor affirmat, qui contra ſe Religioſos omnes aliorum Ordinum videtur habuiſſe, cum nullum ex illis habeat ſui placiti ſubſcriptorem. Et erant tunc Limæ viri doctiſſimi, ſi vſpam aliâs. Habuit etiam alios ſpectatæ doctrinæ maſtyges, inter quos fuit, qui ſatis doctum circa hoc elaborauit opuſculum, quod apud me habeo manu-ſcriptum, in quo pius, expertus, & eruditus Auctor P. Agiæ ſententiam apertiſſimâ ratiocinatione conuellit, & quàm ſint eius leuia fundamenta, & verò etiam falſa, demonſtrat. Ignoratum autem à me Auctorem Dom. Solorzanum fecit manuſcriptum *Tomo 1. Lib. 2. Cap. 23. num. 7. & Tomo 2. Lib. 1. Cap. 14. num. 2. & in Politicâ Lib. 2. Cap. 16. in principio.* Fuit enim Senator priùs Regius in Limano Prætorio, & poſtea Societatis noſtræ Religioſus, P. Franciſcus Coëllius, ab eodem quidem meritò, ſed citra meritum, felici quondam diſcipulo in Salmanticensi Academia collaudatus. Et eius quidem opuſculi ſubſidiis inſtructus, aliaque à ſe, aut ab aliis adiecta perpendens citatus Scriptor, ſententiam Magiſtri ſui præferendam cenſuit *citato Lib. 1. Cap. 15. num. 6.* vtpote in vtròque foro ſecuriorem, & ſolidioribus rationibus innitentem. Indicat autem oppoſitam ſatis probabilem *Cap. 14. num. 1.* Quod ego quidem negare nequeo, ſed extrinſecâ probabilitate, ab auctoritate inquam multorum, de quâ dictum, addito ſapientium Conſultariorum in Regio Senatu, aliorumque, inter quos res eſt agitata, iudicio. Si enim eius fundamenta expendantur, leuia quidem deprehendantur, & vt dixi, nonnulla etiam apertè falſa. Et ita Dom. Solorzanus in *Politica loco ſuperius adducto*, qui reſpondet *num. 1. Capitis 14.* nihil de probabilitate ſubiunxit, ne ſic anſam continuationi præſtaret.

112 Quod vt ampliùs oſtendam, obſeruo id, quod eſt quidem obſeruatiō digniſſimum, Principes inquam noſtros grauiâ inconuenientia dignoſcere, quæ in hac metallicâ coactione ſine vmbra aliqua tergiuerſationis occurrunt, & ad onus hoc tollendum potenter induci, immò & impelli, vt iam dictum. Pro quo Regis noſtri Philippi Secundi Salomonis Hiſpani in regnandi ſcientiâ, verba præſtat auſcultari; ſic enim loquitur in Reſcripto quodam, quod adducit citatus

Contra il-
lum duo
ex eadem
Religione
depugnans.

Et vali-
ditus P.
Franciſcus
Coëllius &
Societate,
cum laude
adductus.

Sententiæ
affirmans
probabilia
tantum ab
extrinſeco.

Gratiâ in-
conuenien-
tia in co-
actione hu-
iſmodi
noſtri Re-
ges agnoſ-
cunt, unde
circa illam
religione
tanguntur.